



DISPUTATIO VI,
Centuriae Quartae

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ *Wittebergenſi* Academia
Propoſita:
PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE
IOANNE MVLBERGERO
Ratiſponenſe.

*Ad 12. Martij horu à 6. matutinu in auditorio col-
legii veteris.*

WITTEBERGAE
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellwigii Bibliop. Anno 1608.





MAGNIFICIS NOBILISSIMIS, Amplissimis, Prudentiâ, authoritate longoque rerum usu Præstantissimis Viris, liberæ Imperialis Reipubl, Ratispon. D. D. Consulibus, cæterisque Senatoribus Prudentissimis,


D. Mæcenatibus suis omni observantiâ & pietatis cultu prosequendis.

ἔργονισμα hoc φιλοσοφικόν

Debitæ observantiæ τεκμήριον

ἄκριτον vult

A. & Respondens.



QVÆSTIO I.

An necesse sit Syllogismum in Logicâ con-
siderare secundum certas materiæ conditiones?



Um t̄ Syllogismus sit in rebus Logica finis, non abs-
re erit, si quaeritur, num Syllogismus secundum certas
materiæ conditiones sit tradendus in logicis. Repe-
riuntur enim nonnulli qui natura logica vel planè
ignari, vel ejusdem confusam cognitionem habentes,
universam doctrinam syllogisticam formali parte de-
finire & includere, hocque pacto unâ fidel.â (ut di-
citur) omnes parietes de albare & uno cellario omnibus med. i morbis,
conantur. Omnem autem respectum ad quamvis materiam, ex agro
logico profcindendum & exterrinandum censent, cum Logica versetur
tantum circa Ens ab omni materia abstractum.

Verum enim vero t̄ ut sit, si ad ipsum tan en logica objectum
respiciamus, illudq, trutinam mentis accuratius perpendimus, ut sive ullo
negotio deprehendimus, materiæ diversitatem inferre etiam nobis dis-
paritatem formæ. Id quod exinde patet: Quia intellectus noster tam
circa vera quam circa falsa versatur. At constat, syllogismum in il-
lus nostri primarium esse instrumentum: Unde per se manifestum est,
diversitatem materiæ diversam parere intellectus in nobis actionem, ad-
eod, diversum syllogismum.

Ex his t̄ iam concessis (qui propter evidentiam concedenda sunt) 3.
hoc sequitur, quod aliam firmam syllogismi fieri arroget Demonstrator,
teste Ar. st. lib. 1. post. c. 11. nec omnes etiam propositiones admittat
post. c. 4. Neque omnem formam syllogisticam admittat disputator, te-
ste eodem 1. Top. c. 10. nec omnes etiam propositiones 1. Top. c. 8.

Exinde igitur iterum sic argumentari licet; diversa instrumen-
ta, diversusque prædicandi modus, diversa gignunt præcepta, adeoque
diversam etiam partem.

Sed instrumenta sunt diversa, ut & modus prædicandi. Ergo.

4. Ad ipsum tamen denique logica finem si respicimus, deprehendimus ipsum quoque diversitate sua, suo quasi calculo, nostram assertionem comprobare. Verissimum enim est illud axioma generale: Finis dat mediis ordinem & mensuram. Iam vero veritas, pro triplici materiae conditione, triplex est; vel enim est necessaria, vel probabilis, vel sophistica, sive apparens. Si ergo finis est diversus: utique etiam media, Syllogismum puta, ad finem perducenda erunt diversissima.

Omnino igitur & statuendum & concedendum est, Syllogismum secundum certas materiae conditiones considerari posse in Logica.

QVÆSTIO II.

An Deus sit extra cœlum?

1. Deum tamen non esse extra cœlum in spatiis imaginariis, ut loquuntur, sunt nonnulli qui affirmant, ut Scotus, Durandus, Capreolus & alii complures, suamque sententiam hisce argumentis corroborare nituntur. Si extra cœlum est nihil: Deus vero in nihilo non potest consistere. Ergo Deus extra cœlum non potest consistere. Deinde quemadmodum illud spacium, in quod Deus extra cœlum à quibusdam collocatur, est tantum imaginarium: Sic etiam Deus, non revera, sed nostræ tantum mentis conceptu, ibi existere dicitur. Adde & hoc, quod substantiam materiae, expertes, non sint in loco nisi per operationem: Quia igitur Deus extra mundum nihil operatur, neque ante mundum operatus fuit, teste Augustino lib. 11. confess. c. 12. ubi dicit: Antequam Deus faceret cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si faciebat; quid nisi creaturam? Dic sodes, quomodo extra mundum collocandus sit?

2. Pro contraria tamen verò parte fortiter pugnat Hermes Trismegistus in Asclepio ubi ita inquit: Deus supra verticem summi cœli consistens ubique est, omniaque cernit. Huic non absimilis est etiam eiusdem definitio Dei, quæ definit Deum sphaeram intelligibilem, cuius centrum est ubique, circumferentia verò nusquam: Quæ descriptione summam Dei perfectionem innuere voluit, cum forma sphaerica sit omnium perfectissima figurarum. Eandem etiam sententiam fovebant Aristoteles & Plato, referente Eugubino lib. 4. de Philosophia perenni & Ficino. lib. 2. de animæ immort. c. 6. ubi decere, inquit, Platonici putant, Infinitum bonum, per immensum exuberando
ita

ta sese integrum fundere, ut nullā vel imaginariam universi par-
ticulari, sive in mundo sit, sive extra mundum, relinquat suā prae-
sentia destitutam. *De Aristotele idem comprobatur ex lib. i. de cœl.*
c. 9. text. 100. ubi in hac verba desinit Aristoteles: ἔξω δὲ τῶ ὀυρανῶ
δέδραται ὅτι οὐτ' ἐσιν, οὐτ' ἐνδέχεται γενέσθαι σῶμα. φανερόν
ἄρα ὅτι οὔτε τόπος οὔτε κενόν, οὔτε χρόνος ἐσιν ἔξωθεν. Διόπερ οὐτ'
ἐν τόπῳ ἢ ἀκτὴ πῆφυκεν, οὔτε χρόνῳ ἢ αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδ' ἐσιν
οὐθενός οὐδ' ἐμιά μεταβολή τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φορῶν,
ἀλλ' ἀναλλοιώτα ἢ ἀπαθῆ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζῶν, ἢ τὴν αὐταρκεσάτην
διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα.

*Quamquam notum est, Aristotelis interpretis, admodum discrepā-
re in versione & expositione huius loci; tamen id extra omnem contro-
versiam est, quod hic locus saltem de Deo, ut simplicissimo Ente, sit in-
telligendus.*

Rationem. † etiam talem pro sententiā affirmatīvā afferre possu- 3.
mus: Deus est id, quo nihil maius potest concipi: iam verò si extra cœ-
lum non esset Deus, posset aliquid Deo majus concipi, id quod absurdum
Ergo.

*Sacram † Scripturam si consulamus, res expedita est: 3. Reg. 4.
cap. 8 v. 27. dicitur: Ecce cœlum, & cœli cœlorum te non cons-
tinent: quanto minus domus ista, quam ædificavi? Baruch. 3. v.
24 25. O Israel, quā ampla est domus Dei, quā longe pa-
tens locus habitationis eius? Locus magnus eius & infinitus, ex-
celsus atque immensus. Psal. 145. v. 3. Magnus Dominus & lau-
dabilis nimis & magnitudinis eius non est finis &c.*

*Audiamus † etiam Patres. Damascenus lib. i. de fide orthodo- 5.
xa cap. 16. inquit, ὅτι τὸ θεῖον ἀμερές ἐσιν, ὅλον ὀλικῶς πανταχῶ ὄν
ἢ ἐν μέσῳ ἐν μέσῳ σωματικῶς διαίρεθμενον, ἀλλ' ὅλον ἐν πᾶσι, ἢ
ὅλον ὑπὲρ τὸ πᾶν. Et Dionysius lib. de divin. nom. c. i. ait: Deus in
mundo, & supra mundum, & circa mundum est. Et Athanasius
in Epist. Synod. Nicæn. Deus est, inquit, in omnibus secundum su-
am bonitatem & potestatem: Idem extra omnia est secundum su-
am propriam naturam. Sic eleganter & piè scribit Bernhardus in ser-
mone de verbis Habacuc, pag. 36 3. Quid dixi miser? sed ubi non
est: altior est cœlo, inferno profundior, latior terrā, mari diffu-
sior. Nusquam est, & ubique est, quia nec abest nulli nec ullo ca-
pirur loco.*

6. Ad argumenta contraria respondemus. Ad primum, concedendo majorem: nempe extra cælum nihil esse præter Deum: quod autem in minore subsumitur: Deum non subsistere posse, quæ non subsistat in alio: Falsum est. Deum enim ad subsistentiam suam, aliis rebus non indiget. Est igitur Deus extra mundum non aliis, sed sibi soli præsens: quemadmodum ante mundi creationem non fuit in aliquo loco vel ubi, sed in semetipso: αὐτὸς γὰρ (ut loquitur Damascenus loco allegato) ἰαυτῷ τὸ πᾶσι, τὰ πάντα πληρῶν, ἢ ὑπὲρ τὰ πάντα ὄν, καὶ αὐτὸς σὺν ἑαυτῷ τὰ πάντα. Ipse sui ipsius locus est, cuncta replens, & super omnia eminent, & ipse continens omnia.

Ad secundum, fatemur adhuc, extra cælum nihil esse præter Deum: quocirca etiam illud ipsum spacium imaginarium reale nihil erit. Iste igitur terminus intelligendus quidem est, de modo concipiendi nostro: Ita tamen per eum significatur re vera, Deum extra cælum esse; nempe ita, ut ubi nos extra cælum concipimus spacium per medium vacui, aptum repleri corpore, ibi statuatur presentissima divina substantia, totumque illud substantialiter replere.

Ad tertium. Negamus substantias separatas in loco vel, ubi esse per operationem. Nam variata operatione, mox statim variatur Intelligentia hypostasis: Ergo neq, ubi. In eodem enim. Vbi, multas & diversas operationes sine ullo motu sui, secundum illud Vbi, exercere potest.

Conclusum itaq, esto: Deum quoque extra mundum esse, & existere in spaciis, ut loquuntur, imaginariis, per realem presentiam suam, sue actuali habitudine reali ad aliquam rem extra ipsum.

QVÆSTIO III.

An primus motor secundum Aristotelem sit infinita virtute præditus?

1. Cum & summa in his vocabulis Finitum & Infinitum, lateat æquivocatio, eandem priusquam progrediamur, tollere, & in qua significatione à nobis accipiantur, ostendere, non importunum vilum est. Finitum ergo & infinitum, teste Aristotele, proprie dicuntur de quantitate cujusdam corporis. Cum vero ejusmodi in Deo non sit, significatio hæc locum non habet. Deinde hic non est questio, de sola infi-
- mitate

nitate durationis, cum constet Deum esse aeternum: sed questio hæc præcipue intelligenda est, de infinitate in essentia & perfectione, & sit essentiam an virtute agendi.

Hanc t̄ ergo infinitatem competere primo motori, Aristotelem 2. voluisse, aliqui qui negant, aliqui qui affirmant, reperiuntur.

Qui t̄ negant hanc mentem fuisse Aristotelis, his potissimum freti rationibus, sic argumentantur.

1. Aristoteles 8. Physic. c. 10. probat non posse infinitam virtutem dari in magnitudine; quia si ea daretur, moveret in non tempore: Ergo Aristoteles non agnovit virtutem infinitam in Deo.

2. Aristoteles nonnulla attribuit Deo, quæ tamen infinitam ejus virtutem destruunt, ut 1. de Cæl. cap. 8. text. 76. negat posse Deum plures condere mundos: & ibidem lib. 2. cap. 6. text. 35. offerit primum motum esse desinita velocitatis, ob determinatam vim primi motoris. Ergo.

3. Aristoteles attribuit Deo virtutem infinitam; sed tantum duratione: Ergo non intensione vel vigore infinitam. Nam si dicit: primus motor movet tempore infinito: Ergo habet virtutem infinitam: Intelligi infinitatem duratione, non virtute. Si hanc enim intelligeret, eadem infinita virtus competeret etiam inferiorum orbium motricibus intelligentiis: quod tamen falsum.

Veram t̄ vero & genuinam Aristotelis mentem qui sequuntur 4. tur, infinitatem Dei duplici modo probant, vel à priori, vel à posteriori.

À priori t̄ hoc modo demonstrant: Quia Deus est ipsum Esse per se Essentiam, in nulla receptum, sed per se ita subsistens, ut omnem essendi perfectionem in se includat. Vis vero consequentiæ est hæc, quia cum Deus à nullo participet suum esse, seu rationem Entis, sed ex se & ex intrinseca natura & necessitate sit id quod est, non potest habere in se diminutam & solum quasi ex parte rationem & perfectionem Entis: Ergo includit in se totum Ens, omnemque ejus perfectionem. Ex hoc igitur principio ejusdem Entis infinitas etiam concludi potest. Perfectio enim hujus Entis non est ita precisa, ut non omnia sub se, quæ ad summam perfectionem pertinere videntur, complectatur. Si ergo hujus Entis perfectio ea omnia complectitur, sequitur & hoc, quod & infinitatem complectatur, quæ maxime est de summa perfectione hujus Entis. Denique hoc ipsum etiam probari potest, per non repugnantiam, vel negationem

gationem omnis cause vel rationis, ob quam necessitatis essendi, ut sic potius limitetur ad hoc genus perfectionis, quam ad aliud, & ad hunc gradum, quam ad meliorem: Quia hic non potest intercedere alia ratio a priori per causam positivam, cum hoc ens nullam habeat causam, & simpliciter sit primum.

6. A posteriori + vero vel per effecta hoc modo arguunt ex 8. Physic. cap. cit. tex. 7. & 12 Metaph. tex. 41. Deus est infinita virtutis, quia movet tempore infinito: Nempe ex hypothesis Aristotelis. Consequentia est firma. Nam juxta eundem Aristotelem, ad movendum tempore infinito, requiritur virtus infinita. Deinde: quicumque habet vim creandi, is est infinita virtutis. At Deus habet virtutem hanc creandi: E. Virtutem hanc creandi agnovisse in Deo Aristotelem probat. Scaliger exercit. 61. sect. 3.

7. Ad argumenta + objecta respondemus: Et quidem ad primum dicimus cum Thoma prima parte quaest. 105 art. 2. ad 3. & 1. contra gentes, cap. 20. Aristotelem negasse quidem infinitam virtutem in magnitudine, hoc est, in re naturali intellectus experte, non tamen in re intellectus particeps, qualis est primus motor, qui pro lubitu movet vel retardare, vel impellere potest.

Ad secundum dicimus: Aristotelem negare quidem, posse esse plures mundos, non ob defectum aut imbecillitatem potentiae divinae, sed ob determinationem divinae voluntatis, quam, etsi falso ut Ethnicus, ex natura sua determinatam putabat ad certa effecta.

Tertium non assequitur mentem Philosophi. Ex eo enim, quod primus motor aeternum movet, non colligit tantum virtutem movendi aeternam; sed etiam & quidem potissimum ejusmodi virtutem, quae à nulla alia, sed à seipsa liberrimè pendeat, quae non duratione tantum, sed perfectione etiam infinita sit, ideoque infinitam potestatem arguat.

QVÆSTIO IV.

An sit in omnibus disciplinis utilitas spectanda?

1. Nova Philosophia novum inventum: inania ait, & Sophistica esse omnia, & Philosophia & facultatibus reliquis, quae ad meliorem
faciunt

farinariam & ullum in vita humana usum non possint revocari. Ut no-
vum, ita sapientissimum in ventum. eiusmodi Philosophia non indignum
Non loquitur in specie de artibus & scientiis civilibus: quas propter utilitatem
potissimum excoli, non inficiamur: Sed universe disputat. Unde an ho-
minis id inventum sit, valde dubito. Quis enim hominum se hominum
negaret? At hic negat. An non homines nos natura appetimus cogniti-
onem ad id, ut eam non possimus non appetere, quamvis nulla illam se-
quatur utilitas? An non Aristotele teste, animus humanus discendo con-
stituitur in statu naturae consentaneo? Imò scientia, autore E. Stratio,
est mentis humanae perfectio. Cur admodum delectamur peregrinatio-
nibus? Ut multa nova quotidie videamus, respondes. Ergo etiam bone
vir, ut multa nova assidue discamus: Itaque non semper propter usum &
commodum aliquod externum. Cum negari non possit, peregrinatio-
nes saepius plus sumptuum requirere quam utilitatis afferre. Variarum
itaque rerum indagatio in causa est. Animo enim non potest offerri
pabulum cognitione & scientia iucundius. Nam quemadmodum τὸ
διὸ δάεισθαι constituit animal: Ita hominem τὸ ἐπίσασθαι: Siquidem
sola scientiae capacitas & veritatis sensus differentiam constituit, inter
rationale & irrationale, inter hominem & brutum.

Atque inde fit, ut à primis unguiculis simus φιλόνοοι, ad audi- 20
endum a vidi: Item φιλόμυθοι fabularum, amantes. Et Alexander il-
los pueros, qui studiosiores sunt fabularum ceteris ante ponit. Fabulae
enim quia admirabilia continent, admirationem gignunt: Admiratio di-
scendi cupiditatem: Discendi cupiditas inquirendi studium. Hoc scientiam,
in qua mens sive intellectus theoreticus quiescit, quippe qui in sese tanquam
circulus redit, cognoscens, ut cognoscat. Vi autem hic in eo distinguitur
ab intellectu practico: Ita etiam Philosophia Theoretica à Practica dis-
cernitur, quod illa sit ὄρασις τῶν θεῶν; haec περὶ τῶν ἀθρώπων. Illa in
contemplatione quiescat: haec ad opus progrediatur: in hac utilitas ci-
vilis & externa; in illa tantum interna mentis perfectio spectetur.

Dic tamen sodes: quid Ciceroni respond. bis? In primis, ait, homi- 30
nis est proprium veri inquisitio atque investigatio. Addit: Itaque
cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus ali-
quid videre, audire ac discere, cognitioneque rerum aut occul-
tarum, aut admirabilium, ad bene beateque vivendum, necessa-
riam ducimus.

Responde tamen etiam Alexandro, qui lib. 4. probl. 20. ex natura rei de 40
B monstrat,

monstrat, non ubiq, querendum esse utile. Qui, inquit, in omni actione & omni disciplina, id quod est utile exigit, & nihil discere vel agere, quod non sit utile, sibi in animum inducit, is aliquid esse bonum, & per se eligendum perimit: Siquidem quod utile quidem est fit alicuius alius gratia, ad quod utile est: Quod autem alicuius alius fit gratia, cum ab eo id quod est eligendum habeat, ab illo etiam habet, ut sit bonum. Quicquid autem est utile, est boni alicuius efficiens. Sed si id quod per se bonum est & eligendum, est eò magis bonum, quod ab alio bonum habet: qui id quod est utile, in omnibus requirit, esse aliquid propriè & per se perimit. Præterea, qui id solum quod est utile, bonum & eligendum esse dicit, aliquid etiam esse utile tollit. Si enim quod est utile, tanquam boni efficiens eligendum est, & ut sit bonum habet ab eo, quod fit ab ipso; Nihil autem est eiusmodi, eorum sententiâ quibus solum est eligendum, non fuerit utile, eo sublato, propter quod id, quod est utile factum, in se habet, ut sit eligendum, si enim quod est utile, utile sit, quod fit alicuius utilis boni efficiens: Erit quicquid fit ab utili, utile, quod eo, quod sit utile, ad aliud rursus relationem habebit. Sic autem procedet in infinitum, dum semper id quod est utile, eò quod aliquid facit, fit utile: Id autem quodcunque id sit, quod ab utili efficitur, ipsum quoque utile existat. Cum hoc autem sic habeat, ne utile quidem adhuc utile manserit, cum non sit extremum aliquod, quod eò quod per se sit eligendum & bonum, & iis quæ ad ipsum conferunt, & ad ipsum sunt utilia, ut talia sint præstitit. Quemadmodum enim si non sit eligendum id quod fit, nec quod ad id quidem utile est, fuerit eligendum: Sic nec quidpiam eorum quæ sunt ad utile utilia, id quod est eligendum habuerit, quod nihil eorum quæ ab ipsis fiunt, sit propter se eligendum: Siquidem absurdum est, aliquid esse bonum perimere: Perimitur autem eorum sententiâ, qui dicunt utili tantum esse studendum, ut ostensum est. Absurdum autem est dicere, nihil esse utile: quod ipsum etiam tollunt, qui utili tantum studeri dicunt.

QVÆSTIO V.

An cuilibet liberè philosophandum sit?

Reperiuntur

Reperiuntur † nonnulli, qui omnem philosophandi licentiam & 1.
libertatem absque ullo discrimine, cui vis concedendam censent. Quia
turpe videtur seruitium, esse alligatum ad verba Magistri, & sen-
tentiâ Præceptorum vivere. Nam quemadmodum in re civili omnis
exosa est seruitus, libertas verò aurea, gratissima & omnibus exoptan-
ta, sic etiam in Philosophia se res (uti putant) habet.

Toto † verò eos errare cælo demonstrabimus. Tantum enim abs 2.
est, ut hæc turpis quædam ac fæda sit seruitus, ut vix maior in iuveni-
lem ætatem laus cadere possit. Cogitationes enim suas & consilia diri-
gere ad consilia prudentum, est se iis quasi imitatione quadam similem
reddere.

Nam † si etiam nos conferamus hoc ipsum, cum rebus civilibus & 3.
politicis, videbimus hoc optimo jure fieri. An non in quibusdam Re-
bus publicis feminae orbatae tutorum potestate sunt subjectæ, propter in-
firmitatem consilii & quia τὸ βουλευτικὸν in illis est ἀκρῶν? Sic etiam
Iuvenes ad certos annos in tutorum sunt potestate: quia τὸ βουλευ-
τικὸν est in illis ἀτελές.

Hoc † si transfertur ad nostram foræ Philosophicæ, eandem saltant 4.
fabulam iuvenes & pupilli Philosophiæ cum iis. Teste enim Alexandro
Aphrodisæo, ὁ δὲ θεωρητικὸς longe tardius quam πρακτικὸς, & insuper
etiam non apud omnes maturescit: Animi siquidem virtus (ut inquit
Plato) non prius florescit, quam corporis virtus defloruerit. Quod si
itaque apud plerosque tanta est consilii inopia, quid quæso obstare pote-
rit, quo minus honestum & quidem ornamento sit, ejuamodi adhuc bal-
buiientibus, ut sequantur auctoritatem eorum, qui tot jam seculis sapien-
tes habitifuerunt. Atque hæc proculdubio fuit causa indicti silentii
Pythagorici. Vidit enim sapientissimus ille Pythagoras, satius esse di-
scipulum credere quam disputare. Sic idem monere voluerunt præcæ
Philosophi, quando hominem duobus oculis videre dicebant: Oculo
nempe prudentiæ, & oculo sapientiæ: & addebant, illum non nisi longo
rerum usu clarescere, hunc verò in senectute primùm aperiri. Vnde etia
iam non immeritò scripta veterum sapientissima, opulentissimis me-
tallis comparantur, quorum venæ altissime latent plenius responsuræ
assidue fodientibus: Eodem enim modo semper illa plus habent in recessu,
quam in fronte promittunt.

Conclusum itaque esto, non omnibus promiscuè sine habita ratio-
ne ætatis & personarum libertatem Philosophandi esse concessam, nec

surpe esse, juvenem monita & consilia prudentum, instar filii Ariad-
nis sequi.

QVÆSTIO VI.

An peccatum Originis sit substantia?

2. *Quamquam hæc questio ejusque explicatio passim in sacris li-
teris reperatur; tamen infelix ille Flacius ante annos non ita multos
hanc metam sibi propositam habuit, ut plane contrariam sacris literis
sententiam doceret, sicque vera loco adulterinam supponeret. Hic ve-
ro suum negocium aggressus est duobus modis & 1. quidem dicta S. scri-
pturæ rationibus Philosophicis & opinionibus humanis obscurare voluit,
& hac in parte imitatus est Camelos de quibus Plinius lib. 8. c. 18.
scribit, qui si ad aquam puram potatum deveniunt, pedibus eam pri-
usquam introspiciant, turbidam reddunt, ne deformitatem suam vi-
dere cogantur inter potandum: Sic & ille fontem ipsum veritatis divi-
næ pedibus Sophismatum ex depravata ratione derivatorum conturba-
re non est veritus. Deinde eiusdem sacra scriptura dicta sinistrè acce-
pta sinistrè explicavit, & in alienum plane sensum detorsit. Peccatum
enim originis dicebat non esse naturæ adventitiæ contagionem, sed i-
psam hominis essentiam & naturam corruptam. Hanc ergo suam
opinionem erraticam stabilire ausus est non modo sacris, sed etiam
Philosophicis rationibus. Idcirco hac in parte nemo, nos μεταβαίνεν
εἰς ἄλλο γένος seu extra oleas vagari, dicet.*

*Assumimus enim & examinamus tantum illa argumenta, quæ
vel Philosophica sunt, vel ex scriptura quidem sumta philosophicè tamen
resolvi & tractari possunt.*

2. *Argumenta t itaque pro Flacii concludentiâ hæc sunt:*
1. *Accidens est, quod potest adesse & abesse præter subjecti corrup-
tionem: Atque peccatum originis substantiam animæ rationalis omni-
nò corrumpit. Ergo peccatum originis non est accidens sed substantia.*
 2. *Accidens de essentiâ substantiæ non est:
Peccatum originis est de essentiâ substantiæ:
Ergo Peccatum originis non est accidens.*
 3. *Totus homo accidens non est:
Peccatum originis est totus homo:
Ergo non est accidens.*

4. *Omnia*

4. Omnis corruptio substantia, abolita priore forma substantiali, introducitur novam formam hominis, eamque substantialem, ut auctor est Aristoteles in Physicis:

Per peccatum vero totus homo fuit corruptus, tam quoad corpus, quam quoad animam:

Ergo peccatum introduxit novam hominis formam, & quidem substantialem.

5. Si peccatum originis tantum est natura adventitia & adherens contagio, ac iustitia accidentaria privatio; substantia Adami post lapsum mansit per se bona & integra: At non mansit per se bona & integra: Ergo.

6. Nullum naturale personale & quod est totius speciei humanae, est accidens: At peccatum originis est naturale &c. Ergo non est accidens à substantia hominis distinctum:

7. Sicut se habet Imago Dei vel iustitia originalis ad hominem ante lapsum; sic se habet peccatum originis post lapsum: At peccatum originis ante lapsum non erat aliquod accidens, sed substantia: Ergo neque peccatum originis est accidens.

8. Substantia hominis est extreme mala: Ergo per se non est bona.

9. Quod natura sumus, illud non sumus per accidens: At natura sumus filii irae: Ergo non per accidens: Et per consequens, Peccatum originis est substantia.

10. Quicquid punitur, id est, peccatum: Sed accidens non, verum substantia hominis punitur per legem: Ergo peccatum non est accidens, sed ipsa hominis substantia.

Verum quae Achillea haec sint argumenta, postmodum videbimus, si prius veram sententiam, nempe Peccatum hominis substantiam non esse, sed accidens, paucis demonstraverimus.

11. Cujuscunque Deus causa est, id necessario bonum est: At homo est creatura Dei: Ergo bonus est. Majorem praeter scripturam sacram, probant etiam Philosophi. A Pythagora ἄνδρες ποταμοὶ εἰσὶν ἡμεῖς τὰ ἔχοντες dicuntur. Et à Platone pie dicitur, Deus κακῶν ἀνομιῶν, ἀγαθῶν ἀνομιῶν, ἀνομιῶν τε εὐνοίας. Et iterum ait Plato de Republica: Omni contentione pugnandum est, non concedendum, ut Deus dicatur causa mali, &c. Et Euripides apud Plutarchum inquit: Si Dii aliquid faciunt turpe, non sunt Dii.

2. Quodcumque neque est pars essentialis, neque pars integralis hominis; illud non est substantia, sed accidens hominis. At peccatum originis, neque est essentialis neque integralis pars: Ergo. Minor constat. Essentiales enim partes hominis sunt anima & corpus; neutrum est peccatum. Integrantes partes sunt: Caput, thorax, &c. neque ullum horum definiatur peccatum. E.

3. Quodcumque non ingreditur definitionem hominis; id non est essentia hominis: At peccatum originis non ingreditur definitionem hominis. Ergo.

4. Quae definitione differunt, non sunt idem essentia, vel se mutuo essentialiter non constituunt: At homo & peccatum definitione differunt: Ergo se mutuo essentialiter non constituunt. Minor probatur. Homo enim est animal rationale: ἀνοστία verò ἐσὶν ἀνοπία.

5. Peccatum si substantia esset, bonum esset August. confess. lib. 7. cap. 12. At peccatum est malum: Ergo substantia non est.

6. Sublata substantia hominis, ipse homo tollitur: At sublato peccato non tollitur homo: Ergo peccatum non est hominis substantia. Minor probatur. Christus enim mediator noster verus homo natus est ex substantia Mariæ virginis sine peccato. Et in vita æterna erimus veri homines, sed non peccatores.

7. Quae operatio proficiscitur ab adjacente hominis, illa non est hominis per se, vel non est ab essentia humana: At operatio mala, quae peccati est, proficiscitur ab adjacente hominis. Quod testatur Apostolus Rom. 7. quando inquit: Non ego operor malum; sed quod habitat in me, peccatum. Et ibidem vocat, malum expresse τὰ παρακείμενον, adjacens: Et Ebr. 12. ἐν περιστασει: circumstantis. Ergo &c.

8. Egregie etiam & Orthodoxè hac de re sentiunt Orthodoxi patres. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem: Nunquam, inquit, a me audies, malum esse naturam. Augustinus lib. 1. adversus Iulianum cap. 3. ait: Non resistimus Manichæis, nisi obtineamus, non esse mala orta nisi ex bonis, nec ea mala substantiam esse, sed substantiarum vitia creatarum. Item lib. 7. Confess. cap. 12. Malum illud, quod quærebam, unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset. Et in explicat; Psal. 68. Quæsi vi, inquit, quid esset iniquitas, & non inveni substantiam. Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 8. Utique, inquit, non substantialis, sed accidens est malitia. Et paulo post addit, hæresin esse pestiferam Valentini, Marcionis

Marcionis & Manichæi, quod malitia sit substantia. *Greg Nazian.*
in Orat. in s. Lavacrum ait: Crede, nullum esse mali essentiam,
nec per se subsistere, nec à Deo creatam. *Epiphan. hæresi. 37.* Ma-
lum aliquando non erat, neque radix ulla fuit malitiæ, neque
malum est quiddam per se subsistens. *Basilii in Oratione, quod*
Deus non sit autor peccati. μήτε ἰδίαν ὑπόστασιν τὸ κακὸν εἶναι φανίσας;
οὐ γὰρ ἐστὶν ὑφ' ἑσῶς ὡσπερ τὴ ζωὴν ἢ πονηρίαν: οὐτε ἴδιαν αὐτῆς ἐνυπό-
στατον παρασῆσαι ἔχομεν. σέβησι γὰρ ἀγαθῶν ἐστὶ τὸ κακόν. Neque
propriam aliquam esse subsistentiam mali imagineris. Non enim
est quiddam subsistens malitia, quemadmodum animal: Neque
nos eius essentiam subsistentē exhibere possumus. Malum enim
est privatio boni.

Ad argumenta & igitur ad-versariorum responderemus.

Ad 1. Est fallacia æquivocationis in vocabulo Corruptionis.
Maior enim loquitur de corruptione rationis, quæ fit per negationem,
minor verò de corruptione reali, cui generatio opponitur. Sunt igitur
quatuor termini in syllogismo. Deinde negamus animam hominis cor-
rumpe. Est enim spiritus omnis corruptionis expers.

Ad 2. 3. Negamus simpliciter minorem in utroque.

Ad 4. Est iterum fallacia æquivocationis in voce corruptio-
nis: Alia enim est corruptio propriè ita dicta, & generationi opposita,
quæ est corruptio essentia: alia est corruptio impropria, quæ generati-
oni non opponitur, nec est corruptio essentia, sed mutatio eius secundum
accidentia. De illa loquitur major: de hac minor: Unde quatuor oriun-
tur termini in syllogismo. Adde etiam hoc, quod non corruptio, sed gene-
ratio novam formam introducat.

Ad 5. Negamus minorem. Nam substantia Adami per se mansit
bona etiam post lapsum: Inquinata verò & corrupta est per acci-
dens & propter peccatum.

Ad 6. Negatur Major: Dantur enim accidentia toti speciei
communia & propria,

Ad 7. Negatur Minor. Erat enim Imago Dei internum homi-
nis accidens, illi ut ornamentum concreatum & connaturale.

Ad 8. Negatur antecedens. Nam extremè malum excludit o-
mne bonum. At in homine est bonum quid, nempe ipsa essentia, quæ qua-
tenus talis, malum esse nequit.

Ad 9. Negamus necessitatem consequentia. Nam hoc potius ad
antece-

antececedens sequitur: Naturâ sumus filii ira: Ergo propter aliquod acci-
dens natura inbarens, seu propter defectum boni in natura.

Ad 10. Respondemus ad Majorem, quod quidem peccatum
puniatur, sed in eo in quo est. Cum igitur peccatum non sit, nisi in homi-
mine, in homine quoque punitur, & per accidens ipse homo punitur.
Cum peccatum puniri non possit nisi in suo subiecto, in homine.

Conclusum itaque esto Peccatum non substantiam, sed accidens esse.

QVÆSTIO VII

Quæ sit causa doloris?

1. Quæ nam & causa doloris sit, Physici non uno modo disputant. Nonnulli enim το λυπηρόν doloris causam constituunt. Idque probant à definitione eius, quia est τὸ ποιῖν ὄν λυπῶν, id est, quod efficit dolorem.
2. Quidam & verò non satis esse putant ad efficiendum dolorem, obiectum adesse sensibile motum; nisi idem etiam sensorium attingat: Ideoq; incongruentiam rei sensibilis cum sensorio statuant esse causam doloris.
3. Hanc & verò causam immediate non posse producere effectum, dolorem nimirum, exinde patet: Quia videmus quaedam animalia quæ membra quaedam habent insensibilia, & stupefacta, & licet objecta illa in congrua applicentur, Nullum tamen exinde percipiunt dolorem.
4. Harum & ergo causarum tanquam spuriarum loco, & ram ut reponamus, illam esse statuiamus sensum ipsius rei molestæ aut in grata, vel, ut amentem nostram magis declaremus, dicimus cum Connimbr. 1. 2. de an. c. 11. q. 2. a 2. Objectum & causam doloris esse mutationem notabilem, factam circa primas qualitates. Exempli gratiâ, quando manus aduritur; vel, cum fit divisio conjuncti, ut quando quis sauciatur. Et hæc quidem est causa vera doloris, qua posita dolor ut insequatur necesse est. Innuat hoc Philosophus libro secundo de anim. c. 2. quando inquit: ὅπῃ ἂν ὁ δῆσις, λυπητὴ ἢ ἡδονὴ πῶς ἀκολούθη. Ubi sensus est, dolor & voluptas consequuntur.
5. Est & igitur dolor nervorum seu pellicula nervea læsio, aut læsio, quæ fit objecto non conveniente. Hinc dolor fit acrior, cum ipsi nervi proximè læduntur: ut fit in Spasmodis, aut in cruciatibus, quando calculi distendunt & disrumpunt venas & nervos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An sit aliquis ultimus finis humanarum
actionum ?

Ultimum + aliquem actionum humanarum dari finem, testatur ^{1.}
Aristoteles 1. Post. c. 3. & lib. 7. Phys. c. 3. & lib. 8. c. 5. & lib. 2.
Metaphyl. c. 2. & 1. Eth. c. 7. idq; exinde probat: Quomodo
in causis efficientibus non datur progressus in infinitum. Ita etiam in fi-
nibus acquiescendum est in aliquo ultimo, qui sit primum movens fi-
naliter, in quo appetitus conquiescere possit: aliàs omnis appetitus tol-
leretur: Quod absurdum. Quàm diu igitur appetitus durat, tamdiu
ultimum aliquem finem dari necesse est. Omnis enim appetitio tendit ad
ultimum aliquem finem & summum bonum. Atque hinc Philosophus in
Ethicis loco allegato demonstrat, omnia, quæ à nobis expetuntur, ob fe-
licitatē expeti. Quicquid enim appetitur, nõ nisi sub ratione boni alicui-
us appetitur. Quare etiam D. Augustinus lib. 13. de Trin. c. 3. cum, o-
mnes homines beatitudinem appetere, & miseriam fugere demonstra-
set, subdit: quicquid aliud quisquam latenter velit, ab hac volun-
tate, quæ omnibus satis nota est, non recedit.

Quamquam + hæc longè sunt verissima, non tamen desunt, qui con- ^{2.}
trarium defendere conantur, asserentes, non absurdum esse, progressum
dari in infinitum, & per consequens non opus esse, ut detur & constitua-
tur aliqua terminus ultimus. Avaro enim, addunt, in acquirendis
& corradendis divitiis non posse præfigi terminum vel aliquem finem,
iuxta illud Solonis apud Aristotelem 1. Polit. c. 5.

Finis opum positus non est mortalibus ullus. Deinde multos
reperiri ajunt, qui quamvis minime otiosi sed valde negotiosi sint,
de summo tamen bono parum videntur esse solliciti, neque etiam de illis
omnium esse eandem sententiam; Quidam enim in divitiis & volupta-
tibus ea situm esse arbitrantur, quibus tamen maxima pars exsatiari ne-
quit.

Verum + nullius valoris sunt hæc argumenta. Primum quod atti- ^{3.}
net, consentientes & nos habent adversarii hac in parte dari videlicet
progressum in infinitum; sed in causis tantum non essentialiter ord. natis:
Ex quo tamen non sequitur, illam appetitionum infinitatem non tende-

re in summum bonum, quatenus bona ea particularia, ad quae tendit, participiant de summo bono.

Ad secundum dicimus, non semper de necessitate esse, ut quis in omnibus actionibus summum bonum intendat, sed sufficere, si appetatur aliquod bonum. Illud enim semper (ut diximus) de summo bono participat. Et dum ipsi fatentur diversam esse opinionem de summo bono largiuntur nobis id quod asserimus: nempe dari aliquod summum bonum & finem quendam ultimum.

QVÆSTIO IX.

An mitius puniendi illi, qui per ebrietatem peccant, quàm qui sobrii?

1. *Magnum omnino vitium est & abominandum Ebrietas, E-*
saia cap. 5. v. 28. Ioel. Prov. 23. Est enim flagitiorum mater, culpa-
rumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis,
subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium cas-
sitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor,
turpitudine morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.
Augustinus ad sacras virgines. Et in libro de pœnit. ait: Ebrio-
sus, quum absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Domino,
despicitur ab angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus,
confunditur à demonibus, conculcatur ab hominibus. Imo confundit
naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem eter-
nam. August. ibid. Hinc Dæmoni nihil ita amicum est, sicut ebrietas
& lascivia. Chrysost. super Matth. Quid? Ipse dæmon est. Vere
enim iterum Augustinus: Ebrietas, inquit, est blandus dæmon, dul-
ce venenum, sua ve peccatum, quam qui habet seipsum non habet, quam
qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum. Et Pet. Rav.
in quod. ser. ait: Ebrietas est mater litium, furoris generatrix, pe-
tulantia magistra, hanc qui habet, homo non est, hanc qui habet non
peccatum facit, sed est ipse peccatum: hac enim est rabies voluntaria
in vitatus hostis, illecebra honestatis & pudoris injuria.

2. *Quid t̄ multis? Nullum vitiorum tetrius, nulla res, quæ tot*
& tantas vitæ humanæ infert calamitates, quam gula & crapula. Hoc
florens

florētissimas sēpe urbes destruit, perdit, regna inuertit, & reges potentissimos solio detrudit. Quis enim est, qui ignoret, Tarquinos, cum jam vino incalerescent, primum ad stuprum nefandum processisse, mox vero & regno amplissimo excidisse? Quis bellum Lapitharum cum Centauris super merito ortum ignorat? Cum enim Centauri in nuptiis Hippodamiae filiae Pyrrithoi vino ebrii, faminis, quae nuptiis intererant, vim afferre conati sint, commoti Theseus & Lapithae, illamq; iniurians ulturi, ingentem Centaurorum multitudinem trucidarunt, relias quas expulerunt Diodor. lib. 4. | c. 8. Quid de Alexandro Magno dicam, cuius virtutem capere tota Macedonia non poterat, qui admirabili celeritate, veluti Pegasus alatus (sicut Propheeta eum nominat) orbem terrarum praecipitis atque victoriis percurrit, omnemque Asiam ab Adriatico mari usq; ad Indicum Oceanum & Gangem fluvium subjugavit? Sed quem vis Martis fortissima vincere non potuit, cum Bacchi poculum interfecit, & lata quasi de eo trophaea erigere non erubuit. Diodor. Sicul. lib. 17. August. ad sacras virg. Sen. Epist. 28.

Hinc & Athenienses, cum ebrietatis vitium in omnibus improba-
vent ex Solonis instituto Principem ebrium morte mulctabant. Lact-
tius in Solone. Apud Indos constitutum erat, ut si quam her re-
gem tumultu occidisset, hoc donaretur munere, ut successorē
nuberet. Alexand. ab Alexand. libr. 3. cap. 11. Strabo lib. 15. Ca-
lius Rodig. lib. 18. cap. 31. Plato in sua Republ. Magistratibus,
donec in honore essent, vinum prohibuit. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 11.
Carthaginenses toto imperii tempore magistratibus suis vinum inter-
dicebant. Abstemios enim & frugales Principes re. publ. prodesse, remu-
lentos autem & luxuriosos maxime obesse putabant. idem lib. 4. c. 6.
Aegyptiorum regibus vini potandi certa statuta erant mensura, qua neq;
sarciri venter, neq; inebriari posset.

Sic & multi fuerunt reges & principes sua sponte sine praescri-
ptis legibus temperantissimi. C. Julius Caesar vini parcissimus fuit. 4.
Sueton. Augustus Caesar temperantissimus, idem. Trajanus impera-
tor omnem contempit luxum, & frugalissimus fuit. Alex. libr. 5. c.
21. Carolus Magnus cibi potusq; parcissimus. Cranzius libr. 2. cap.
8 Saxoniae. Aventinus lib. 4. Annalium Bojorum. Alfonsus Ar-
ragonum & Siciliae Rex interrogatus cur vini expertis viveret, aut vi-
no dilucissimo contentus suum exleret, contra omnium regum & auli-
corum morem, respondit: Vino sapientiam obsequari, ideoque non deca-



cere regem, ut hac immedicâ computatione in animo extinguunt, sine quo Imperatoris & Regis nomen ritè tueri non posset. Interrogatus iterum, quid sibi vellet, quod vinum aqua dilueret: Ne ebrius fiam, respondit, non enim ignoro quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum Regis gloria obsuerit. Tandem ab amico interrogatus, Cur Ebrietatis vitium adeo damnaret; Ideo, inquit, quia furorem & libidinem ebrietatis filios esse haud ignoro. Panormita. lib. 2. de gestis Alfonsi.

5. Plura t̄ adferri possent exempla. Sed ad populos certos & nationes revertamur. Apud Locros illos, qui magis vergunt ad Zephyrum, si quis merum sine medici imperio medicamento gratia biberet, juxta legem, quam Zaleucus t̄ lerat, capitis damnabatur. Athenæus lib. 10. cap. 9. Pittacus Mytilæus, Ebrios, si quid deliquissent, duplici pœna puniri curavit. Laertius in ipsius vita lib. 1. In Comitibus quoque computationes se verè prohibita sunt. In Receptis. Imper. August. anno 1500. & Coloniae anno 1512.

6. Et sanè, t̄ qui ebrius peccat, peccat dupliciter: Primum quidem propter ignorantiam, quæ crassa est, & supina; Deinde propter culpam commissam. Non enim unicū committit flagitium, qui naturâ, seipsum & totam civitatem offendit. Casus lib. 2. Sphæræ polit. c. 10. in fin. At ille qui gravius peccat, gravius puniendus, Aristoteles libr. 3. Ethic. cap. 5.

7. Favores t̄ cæmen ampliandi magis sunt, quam restringendi, ut habet Ictorum proverbium. Et proinde ebrium aliquantulum excusandum censemus.

8. Quid? t̄ Barbarorumne stultitiam approbabitur, apud quos, teste Aristophane, laudibus & encomiis ebrietas & voracitas fovebatur. Quid? laudabitur Alcibiadem, qui famam apud Græcos ex ebrietate meruit? Plinius lib. cap. ult. Plat. in Sympol. vel Heraclidè Puzilem celebrabitur, qui parem in bibendo habuit neminem? Vel Carthaginenses Celtiberos & Thraces commendabitur, qui & viri & mulieres vino abutentes, imò & vestes vino perfundentes, beatum vitæ genus existimarunt? Cælius l. 14. 28. c. 6. Anne etiam Cyanippum Syracusanum ebrium excusabitur, qui occurrentem in tenebris filiam Cyanem r. luctantem violavit? Doficheus libr. 3. rerum Sicularum apud Plat. in Parallelis, vel Alexandrum Magnum, qui per Ebrietatem precipuos amicos interfecit: Clotum, qui in mensa Philippum Alex
andro

xandro praetulit: Philotam Parmenionem & Callisthenem Philosophum
Aristotelis propinquum, quem inter charissimos habuerat? Plutar-
chus. vel tandem M. Antonii factum illud nefandum extenuabimus
de quo Cicero Philipp. 2? Minimè gentium. Nosse enim illi debebant,
menti vino obruta idem accidere, quod curribus aurigâ excusso. Iso-
crat. ad Demon. Item ebrietatem rationem obfuscare, in utroque se-
xu cuncta mala aperire, nefanda committere, robur & naturalis
virtutem enervare, infirmitatem generare, mortem naturalem addu-
cere, reb. temporalib. spoliare, & quod deterius est, divinam maledictio-
nem inducere. Sic enim apud Esaiam cap. 5. legimus: Væ qui con-
furgitis manè et ebrietatem sectandam & potandum usq; ad ve-
speram, ut vino æstuetis. Et iterum: Væ qui potentes estis, ad
bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Et
certè nimis vile esset vinum atque amor, si Ebris atque amanti impunè
facere, quod liberet, liceret. Plautus.

Non itaque omnibus, sed Noë patrocinaur Gen. 9. & iis, qui
non data opera, sed minimè advertentes, & raro inebriati aliquid mali
committunt. Per ebrietatem enim diminuitur peccatum sequens, sicut
diminuitur ratio voluntarii. Thom. secunda secundæ q. 150.

Unde † probè advertendam iudicamus distinctionem illam inter
Ebrietatem & Ebriositatem. Hac in virum bonum cadere non debet
Nam Ebriosum viro bono opponit Seneca Epist. 28. Ebrietas verò qua
fortuito fit, etiam apud Theologos excusatur, Hieron. Weller super
Epist. ad Ephes. & in virum bonum cadit. Imo homicidium per ejus-
modi ebrum commissum non ordinariâ & aliâ consueta pœna sed extra-
ordinaria punitur. l. Corn. de sicariis, Videatur Gail. l. 2. pract.
observat. 110. num. 24. 27. & seqq.

QVÆSTIO X:

An personæ Ecclesiasticæ iudicis secula-
ris officio fungi, ac secundum leges civiles ju-
dicare possint?

Nonnulli † se affirmativam tueri poss. autumant, pro se allegantes
exempla Moysis, Samuelis, Davidis, Salomonis, & summi Sacer-
dotis in veteri testamento: nec ignorans illud Poeta.

Rex Anius Rex idem hominum, Phæbique sacerdos.

C 3

Verus

2. Verum enim vero & Sacerdotum officium à civili Magistratu distinctum esse jubet Philosophus lib. 4. Polit. c. 15 quia munus hoc totum hominem, non partem postulat, ut & munus Ecclesiasticum. Vt itaque primum videtur Aristoteli 2. Polit. c. 9. plures Magistratus ab uno homine geri: ita etiam vel rustici judicare possunt, & pro monstro habendum esse Regem in suggesto existentem, & personam Ecclesiasticam catephoram. Nota enim est faceta responsio rustici cujusdam Archiepiscopo Coloniensi data, quam ex Fulgoso lib. 6. refert Duaren. 1. de Sacr. Eccl. min. c. 4. in hac sententiam. Cum Archiepiscopus Coloniensis per quendam pagum iter faceret, & ingens armatorum numerus eum sequeretur; forte fortuna bubulcus nescio quis eum aspiciens, vehementius ridere cepit: ac interrogatus, quæ nam tanti risus causa; sibi ridiculum videri respondit, quod Petrus Apostolus sacerdotalis videlicet princeps, in tantâ inopiâ vitam egisset, ut eius successores ad eum iocuplearentur, & regibus satrapisque pares fierent. Objiciente vero Archiepiscopo, personam se duplicem sustinere, Ducis scilicet & Episcopi, majorem sacrum sustulit bubulcus. Velim, inquit, hoc unum abs te de eisdem, cum hunc ducem, cujus personam geris, jam fato functum Caledemones ad inferos rapiunt, quoniam iturum esse Episcopum, existimes?
3. Arguta & sanè questio: ad quam aliquando Pontifici respondebunt experientia docti. Hoc intellexit Bubulcus, quod qui suscipit militiam caelestem, desinat esse reipsa miles, seculi amittatque feuda factus clericus.
4. Quod & longe verissimum est Regi siquidem & Magistratus pollicis gladium materiaeque exercendum commisit Deus: Ecclesiastico spirituale. Ambo quidem gladii ad vitam pie transigendam reguntur, & se mutuo juvant: At duæ sunt potestates separate; duæ vivendi seu juncti formulae; duo maxima, Sacerdotium & imperium.
5. Id quod iurare & docere voluerit Salvator summus noster Sacerdos, quando palam negavit, regnum suum esse de hoc mundo. quin imo ipse solus fugit in montem, cum cognovisset, quia populi venturissent, ut eum facerent regem. Noluit etiam ipse pronunciare de adultera puniendâ nec etiam venerat iudex, ut terrenum Magistratum.
6. Ejus & igitur exemplo (ut ait Ambros. 2. Timoth. 2.) non convenit virum Ecclesiasticum duplicem habere professionem. Nam illis qui majoribus deputantur, prohibentur minora. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. non quia indigni illi, sed quia illis indignum.

Nullus

Nullibi ꝑ legimus, quempiam Apostolorum iudicem sedisse homi-
num, aui divisorem terminorum, aui distributorem terrarum: sicut
legimus Apostolos iudicandos, non sedisse iudices. Bernhard. lib. 1. de
confid. ad Eugen. Neque Petro dictum est, Rege & subige, sed pas-
ce: neque dictum oves tuas, sed meas.

Quid ꝑ verò hodie Papa Romanus & Clerici omnes? Fridericus
Barbarossa à Poeta conquerens introducitur, esse inter clericos quos-
dam, qui non amplius ferre crucem Domini, sed tradere regna gau-
deant.

Verum ꝑ Reges & Principes imitari potius debebant Philippum
Pulchrum Gallie Regem, qui Bonifacio VIII. rescripsit in hunc modum:
Philippus Dei gratia, Francorum Rex, Bonifacio, se gerenti pro
summo pontifice, salutem modicam, sive nullam. Sciat tua ma-
xima fatuitas, in temporalibus; Nos alicui non subesse: Ecclesi-
arum & præbendarum collationem ad nos jure regio pertinere
&c. Secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus.

Obiciant etiam Meretrici illi Babylonica quod Christus d. serte ait
Matth. 20. ver. 25. & 26. Scitis quod principes gentium domi-
nantur in eas & qui magni sunt, licentia utuntur in eas: Verum
non ita erit inter nos, sed quicumq; voluerit inter nos magnus fie-
ri, sit vester minister: ¶ Et quicumque voluerit inter nos primus
esse, sit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ut sibi mi-
nistraretur, sed ut ministraret. &c.

Quod ꝑ spectat exemplum ex veteri Testamento adducta, maxima
in illis est diversitas. Moyses enim non erat pontifex, sed Aaron. Sed
inquis, etiam sacerdotes ab Israelitis consultos fuisse. Ad questionem
hanc respondet Iacobus Andreae cuidam Baroni de Cleroan. Gallo,
Occasione Colloq. Mompel. Postquã enim D. Iacobus testatus esset, se
de rebus Gallicis, quod ad Politica attinet, sibi iudicium non sumere, quã
ad Iureconsultos & ipsorum Iudicium pertinerent; ab ipsis autem pro-
fessione aliena essent: D. Baro instabat, in Veteri Testamento, etiam
sacerdotes ab Israelitis consultos fuisse. Cui D. Iacobus: quo minus ipse
exemplo summi sacerdotis responderet, unum sibi deesse, videlicet pecto-
rale, in quo duodecim gemmis nomina duodecim tribuum Israelitarum
inscripta fuerint: quo indutus summus pontifex, sic Deo ordinãte, populo
interroganti responderit. Sibi autem dictum esse, aiebat D. Iacobus:
Quis me constituit Iudicem inter te & fratrem tuum? Cui responso cum
subridens

*Subridens Baro de Cleroan acquiesceret, de rebus Theologicis differere
 incepit. Samuel fuit sacerdos, qui tum etiam Iudices, ut apparet, dice-
 bantur. De Davide vero nullibi legitur, quod immiscuerit sese officio sa-
 cerdotali. Quod autem spiritu vaticinico divinibus donatus fuit, nihil
 omnino officio suo Regio detrahit, nec ipsum $\omega\lambda\upsilon\tau\epsilon\gamma\alpha\gamma\mu\omicron\varsigma$ unus accusat.
 Sic etiam illud Salomonis holocaustum intelligendum est, quod per sacer-
 dotes in sua presentia Domino offerendum curavit. Reliqua plana sunt.
 Conclusum itaque esto: distinctissima esse officia, Imperium & Sacerdo-
 tium, distinctas personas Imperatorem & Sacerdotem. Imperator igitur re-
 gat suum populum: Sacerdos vero pascat oves non suas, sed Domini.*

*AD
 Ornatissimum, & Doctissimum Dn. Respondentem Amicum &
 Sympatriotam certissimum, Philosophice disputantem.*

Parodia ad Oden v. 1. lib. 1. Carmin. Horat:



*Cribèris Clariis clarushonoribus
 Victor, Mæonii carminis alite,
 Quam remcunque tui viribus ingen
 MARTINO Duce gesseris,*

MVLPERGERE. Nec hæc dicere, nec gravem

MOMORVM stomachum fervere nescium,

Nec cursum ad SOPHIEN per juga Cynthia,

Nec tortas LOGICÆ plicas?

Conabor, tenuis grandia: dum pudor,

Imbellisque lyræ Musa potens vetat

Laudes egregiæ Præsidis, & tuas

Versu dicere simplici.

Quis MARTINIADEN attribus inclutam

Dignè scripserit? aut Stoidicæ, fidem

Quæ enodat, laqueos, aut ARISTOTELIS

In scriptis studium frequens?


Nos Phæbum Clarium, nos Clarias DEAS

Exemplo moniti PRÆSIDIS Optimi

Tractemus: patriæ siue quòd utile,

Nostri hoc siue jubent PATRES.

*Amicitia monimen adjuuxit M. Ioan-
 nes Wilkofer Ratisbonensis.*







DISPUTATIO VI.
Centuriæ Quartæ

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ VVittebergenſi Academia
Propoſita:
PRAESIDE
M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE
IOANNE MVLBERGERO
Ratiſponenſe.

*Ad 12. Martij horu à 6. matutini in auditorio col-
legii veteris.*

VVITTEBERGAE
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellwigii Bibliop. Anno 1608.

